

CODEX THEODOSII IMPERATORIS

Liber 16.10.24.1

Sed hoc christianis, qui vel vere sunt vel esse dicuntur, specialiter demandamus, ut Iudaeis ac paganis in quiete degentibus nihilque temptantibus turbulentum legibusque contrarium non audeant manus inferre religionis auctoritate abusi. Nam si contra securos fuerint violenti vel eorum bona diripuerint, non ea sola quae abstulerint, sed conventi in triplum et quadruplum quae rapuerint restituere compellantur. Rectores etiam provinciarum et officia et provinciales cognoscant se, si fieri permiserint, ut eos qui fecerint puniendos.

Dat. VI id. iun. Constantinopoli Asclepiodoto et Mariniano cons.

BIBLIA SACRA IUXTA VULGATAM VERSIONEM – EVANGELIUM SECUNDUM IOHANNEM

1 In principio erat Verbum

et Verbum erat apud Deum

et Deus erat Verbum

2 hoc erat in principio apud Deum

3 omnia per ipsum facta sunt

et sine ipso factum est nihil

quod factum est

4 in ipso vita erat

et vita erat lux hominum

5 et lux in tenebris lucet

et tenebrae eam non comprehenderunt

CATECHISMUS CATHOLICAE ECCLESIAE – PROFESSIO FIDEI: CREDO

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem caeli et terrae, et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.